

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS I
SESSIO PUBLICA I
CONGREGATIONES GENERALES I-IX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXX

24

EXC.MUS P. D. GERARDUS VIELMO

*Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis**Venerabiles Sacrosancti Concilii Patres,*

*His omnibus, quae plures Patres egregie iam protulerunt, nihil ortenus addendum censeo, nisi haec quae sequuntur:*¹

Ad cap. I, art. I (pag. 159-162): ...² Dicam tantum hunc articulum fortasse esse debere tenoris magis essentialis, synthetici et simplicis, ideoque non multis documentorum citationibus gravatum. Hoc vero duabus de causis:

Prima ratio est quia notabilior materiae pars iam egregie invenitur exposita in Encyclicis Litteris *Mediator Dei*; altera ratio est quia huius Concilii constitutiones in praecipuas mundi linguas vertendae erunt, non tantum in doctorum et studentium utilitatem, sed etiam in ipsius christiana plebis bonum et in omnium gentium lucem et invitamentum: sollicitudo ergo pastoralis postulat ut constitutiones ab hoc Sacrosancto Concilio edendae non tantum soliditate doctrinae eniteant, sed etiam mira

simplicitate formae. Secus multi eas non intelligent et spernent aut seponent.

Ad art. II, n. 11 (pag. 163): Placet valde n. 11, attamen ea quae de *magisterio*³ theologiae dogmaticae ibi statuuntur incompleta mihi videntur, ideoque complenda. Non enim sufficere videtur ut talis professor connexionem ostendat proprii obiecti cum Liturgia, sed necessarium aut peropportunum arbitror quod theologus, in libris praeparandis atque in lectionibus tradendis, non identidem et quando alia argumenta desunt vel sunt parum firma et perspicua, sed systematice et abundanter, materiam depromat non tantum ex documentis Magisterii, ex Bibliis et ex Sanctis Patribus et Doctoribus, at etiam ex libris liturgicis Orientis et Occidentis.

Et iure quidem, nam Liturgia, in elementis quae communia sunt omnibus ritibus, aequae vel magis quam doctrina Sanctorum Patrum et Doctorum est expressio seu manifestatio Magisterii ecclesiastici universalis ordinarii; et aequae vel magis est sub incessabili moderamine ipsius supremae auctoritatis Summi Pontificis vel Conciliorum Oecumenicorum. Ita se gessit felix recordationis Pius Papa XII in constitutione *Munificentissimus*, ubi statim post argumentum biblicum et ante argumentum Patrum et theologorum, posuit argumentum liturgicum, depromptum ex Oriente et Occidente. Cuperem ergo ut tandem exemplum illud transeat in methodum et explicite indicetur in hac constitutione de re liturgica...⁴

Ad art. III, n. 16 (pag. 164): Placet summopere. Suggestitur tamen ut statuatur anni non ultra quos libri liturgici universae Ecclesiae recognoscantur atque edantur, exempli gratia, non ultra quinquennium...⁵

Art. III, n. 23 (pag. 167): Placet enuntiatio aureae huius regulae ut ritus scilicet sint simplices, breves, intelligibiles: cuius regulae applicatio certe secumferret ut, e ritu romano ac similibus, auferantur ea quae temporum decursu liturgicas actiones implexas reddiderunt. E. g. in Offertorio Missae Romanae, dum antiquitus sola Oratio super Oblata recitabatur, tempore quo Liturgia minus florebat, quamplures additae sunt orationes quae, fortasse, vel supprimi vel minui possent, una cum nonnullis aliis precibus et gestibus, ut maius tempus relinquatur lectionibus biblicis ad eruditionem populi...⁶

Ad art. III, n. 27 (pag. 168): Placet. Attamen numquam obliviscendum videtur quod sacerdos celebrans est praeses seu caput totius plebis circa ipsum adunatae. Inconveniens proinde videtur quod ipsius vox seu oratio operiatur seu turbetur aliorum cantibus aut vocibus aut instrumentis. Ergo actuosa participatio fidelium promovenda videtur hoc sensu, quatenus populus vel idem faciat et dicat cum sacerdote, vel

ei respondeat ac similiter. E contra saepissime ista fidelium actiosa participatio ita ad praxim deducitur ut alia lingua utantur et alias preces dicant sacerdos et populus, quod certe et dignitati celebrantis et unitati ritus et cordium nocet. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ *Ad titulum et ad prooemium* (pag. 157-158):

Schema constitutionis de sacra Liturgia praebet principia et normas *romanum* ritum spectantia, sed quae etiam ad alios ritus orientales et occidentales identidem applicari possunt aut debent.

Nihilominus in hoc res proponendi modo advertitur quidam defectus concinnitatis, sive relate ad naturam Concilii eiusque finem, sive relate ad ipsius constitutionis titulum.

Etenim Concilium Vaticanum Secundum et est Oecumenicum et finem vere universalem sibi proponit: Ecclesiae unitatem pro viribus fovere.

E contra, dum titulus constitutionis, quam primo loco perpendendam suscipimus, est titulus universalis, nam constitutio inscribitur *de sacra Liturgia*, materia quae in ipsa constitutione tractatur non est plene universalis. Verum est enim, ut ibidem aperte asseritur, principia et normas quae traduntur applicari debere aut posse non raro etiam ad universos Ecclesiae ritus: nihilominus, de facto, explicitate, ipsa constitutio de *solo* romano ritu est sollicita, cum ad applicationes descendit.

Nonne modus iste procedendi parum congruit cum natura et fine Sacrosancti huius Oecumenici Concilii? Nonne ergo consultius esset si, servato caractere generali ipsius tituli praesentis constitutionis, clare ponerentur principia et normae generales, pro universis ritibus valitura, et statim, clare et explicitate, adderentur applicationes ad omnes rituum familias occidentis et orientis? Familias dicimus, nam fortasse bonum esset ut aliquando recenserentur non tantum ritus romanus stricte talis, sed etiam ambrosianus et alii ritus occidentales, proprii quorundam locorum vel antiquorum Ordinum Religiosorum; itemque praecipui seu magis vulgati Orientalium Ecclesiarum venerabiles ritus.

Aliter titulo huius constitutionis addi deberet quaedam restrictio, ut non dicitur simpliciter *de sacra Liturgia*, sed cum addito: *Principia generalia et applicatio ad romanum ritum*. In alia vero constitutione subnecti deberent applicationes ad orientales ritus.

Iisdem de causis, ut veluti inter parentheses nunc dicam, abstinendum esset in posterum a scribendo: « Calendarium Ecclesiae Universae », dum e contra est calendarium ritus romani; pariter abstinendum esset ab adhibenda in Breviarii Romani lectionibus dictio: « Ad Universam extendit Ecclesiam », dum e contra extensio ista est ad solum ritum romanum.

² Relictis animadversionibus minoris momenti. ³ magistro. ⁴ Ideoque tria, clare, in hoc numero 11 essent dicenda: *primo*: Liturgiam revera inter principales disciplinas numerandam esse; *secundo*: theologum, seu theologiae dogmaticae magistrum, tanquam ex vero theologico fonte, systematice et abunde materiam depromere debere etiam ex S. Liturgiae libris orientis et occidentis, praesertim ut liturgicam doctrinalem conscientiam universalem in perspicuo ponat; *tertio*: alios sacrarum disciplinarum magistros connexionem ostendere debere proprii obiecti cum Catholicae Ecclesiae liturgica doctrina.

⁵ Ad art. III, n. 19 (p. 165) (De mente biblica in instauratione liturgica inculcanda). Post hunc numerum addi posset alius numerus vel saltem animadversio de momento atque usu cantus gregoriani et musicae sacrae, hoc sensu quod, si in librorum liturgicorum instauratione quaedam mutanda vel supprimenda erunt, curetur ut loci liturgici, quos mirabiles compositiones gregorianae aut musicae sacrae clarissimos reddiderunt, non omnino e medio tollantur, sed serventur pro solemnioribus Missis, scilicet pontificalibus, monasticis, conventualibus: secus liturgia, sub artis respectu, valoris detrimentum pateretur. Si autem nec in praedictis Missis servari possent, saltem in functionibus extra liturgicis essent adhuc adhibendi.

⁶ Eadem supradicta regula applicari posset aut deberet multis aliis coere-
moniis, ut Baptismati et Sacris Ordinationibus ubi abundant repetitiones, et ce-
tera. Item ad reddendum Missae romanae et ambrosianae ritum magis intelligibilem,
proponi posset quod saltem minuatur pars secreto recitanda. Etenim ipsae Con-
secrationes, in Missae ritibus orientalibus et in romano ritu Ordinationum, elata
voce pronuntiantur et, fatente Sancto Iustino in Prima Apologia, gratiarum actio-
nem praeses totis viribus emittebat, in cuius fine populus clamabat « Amen ».

Ad art. III, n. 24 (p. 167) (Lingua liturgica). Quaeritur utrum vox « imprimis »
(lin. 14) significet quod lingua vulgaris — in quibusdam locis et debito auctoritatis
consensu obtento — pro *tota* Missa adhiberi possit. Hoc consentaneum videtur, si
prae oculis habeatur sive antiquitas sive orientalium usus. Dominus Noster enim, in
Coena novissima omnia clare pronuntiavit ac lingua ab Apostolis intelligibili; idem
usus, sive cum graeca sive cum latina lingua adhibebatur, perseveravit Romae
atque modo etiam perseverat apud fratres nostros orientales unitos ac separatos.
Attamen, ratione habita thesaurorum quorundam locorum sacrae Liturgiae, sive
quoad textum sive quoad cantum, opportunum videtur ut lingua latina, in ro-
mano aliisque occidentalibus ritibus, servetur saltem pro Missa pontificali, pro
nonnullis Missis solemnibus, pro Missa conventuali atque quotiescumque cele-
bratio Missae non fit coram populo: fortasse, etiam quoties Missa non est de
praecepto, licet coram populo celebretur.

Animadversiones additae:

Ad art. III, n. 31 (p. 169). (In Liturgia nulla sit acceptio personarum).

Placet. Attamen conclusio « salvis consuetudinibus ab Ordinario loci adpro-
bandis », efficit fortasse ut « multae sint exceptiones »: quod contradicit ipsi
titulo « In Liturgia nulla sit acceptio personarum », et substantiae ipsius numeri
trigesimi primi. Forsitan ergo adhibenda esset formula magis rigorosa.

Ad art. IV, n. 33 (p. 169). (Vita liturgica in paroecia).

Proponitur ut supprimatur vel clarius exprimatur illud quod lin. 22-33 con-
tinetur: « nam in se perfectius repraesentant Ecclesiam visibilem per orbem ter-
rarum constitutam ».

Animadversio circa ordinem rerum in pag. 165-169:

Videtur opportunum mutare ordinem rerum, quae habentur sub litteris A,
B, C, D, adeo ut habeatur A, D, C, B. Insuper numerus vigesimus octavus collo-
candus esset sub littera A.

Praeses: Velitis audire unum verbum. Locuti sunt hoc mane viginti
quinque Patres exc.mi. Remanent adhuc plures quam triginta qui facul-
tatem petierunt loquendi.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES X-XVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXX

EXC.MUS P. D. CAESAR GERARDUS M. VIELMO

Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysénensis

Praenotamen (pag. 175, linn. 1-16). Quaedam proponi possent ad reddendum textum parvae introductionis simul simpliciolem et ditiolem.

Lin. 2, post vocem « Apostolis », proponitur ut addatur: « eorumque in sacerdotio successoribus », ob rationem doctrinalem et ad inducendam conformitatem cum Concilio Tridentino (sess. XXII, cap. 1: Denz. n. 938).

Linn. 4, 5 et 6, formula ita aptetur ut non praetermittatur sacramentum Eucharistiae esse gratiarum actionis et vere propitiatorium: quae voces maius doctrinale momentum habent quam nonnullae quae ibi recensentur.

Linn. 7 ad 12, animadverti potest quod, ut fideles adstantes Missae sacrificio non sint « inertes et muti », necesse est ut supprimantur vel minuantur ea quae impediunt intelligibilitatem actionum et precum sacerdotis celebrantis. Quod fieri fortasse nequit, nisi structura Missae magis simplex reddatur, eiusque lingua populo intelligibilis, et celebrantis vox perceptibilis.

Ad art. I n. 37 (pag. 175) (Ordo Missae instaurandus). Placet. Instauratio tamen facienda esset iuxta criteria supra prolata, in numero vigesimo tertio. Ideoque simplicitas rituum instauranda et, cum celebratio fit coram populo, saltem in Missis de praecepto, intelligibilitas linguae inducenda. Consultum videtur ut ipsum Sacrosanctum Concilium, probantibus Summo Pontifice et omnibus Concilii Patribus, schema Missae reformatae pro romano aliisque praecipuis ritibus paret et exhibeat. Cavendum tamen videtur, ut, in hac generali reformatione, peculiaritates singulorum rituum supprimantur, ut inducatur unitas forsitan excessiva, quae multis displiceret et obseset unioni potius quam prodesset.

Ad n. 40 (pag. 175-176) (Oratio communis). Placet. Percuperem etiam quod ex antiquis sacramentariis iterum assumantur multae Praefationes propriae quae nunc desunt in ritu romano, quaeque e contra ritum ambrosianum decorant; percuperem tandem quod nonnullae novae Praefationes parentur.

Ad n. 41 (pag. 176) (Lingua). Conferantur animadversiones in n. 24.

Ad n. 44 (pag. 176) (Concelebrationis usus amplificetur). Forsitan deleri posset: « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et ». Ideoque simpliciter esset dicendum: « Ad conventus sacerdotum, de iudicio Ordinarii ». Quia autem audivi nonnullos desiderantes ut huic numero addatur ius concelebrandi Missam conventualem in monasteriis, sincere dicam hanc rem periculum praebere ut Superiores, ad concelebrationem obtinendam, sacerdotes domi detineant, quod contradicere videtur sollicitudini pastoralis huius Sacrosancti Concilii. Unde si talis concelebratio permittetur, eidem addenda erit rigorosa restrictio ac monitum indolis pastoralis.

*De sancta Missa sine cantu celebrata.*I - *Principia generalia.*

1. Missa manere posset etiam prouti nunc est.

2. Quia vero multi desiderium exprimunt ut instauretur (confer n. 37 constitutionis *de sacra Liturgia*), ea quae sequuntur humillime Sacrosancto Concilio submittimus:

a) Generalis structura Missae, quae antiquissima est et classica vocari potest atque perpetua, intacta servanda esset.

b) Instauratio taliter fiat ut nullimode noceat sive cantui gregoriano sive exquisitori musicae sacrae.

c) In instauranda Missa, prae oculis haberi deberent tum antiquitas, tum novae exigentiae, praesertim indolis pastoralis.

d) Instauratio ergo, sub luce melioris traditionis servandae, et actuosae participationis promovendae, ita peragi deberet ut, demptis omnibus quae minus apte, temporum decursu, addita sunt, iterum in suo splendore appareat originalis et classica Missae structura, et simul quaedam mutantur vel introducantur, quibus christiana plebs plenius edoceatur atque efficacius ad malum vitandum et bonum sectandum impellatur.

II - *Principiorum applicatio ad singulas Missae partes.*1. *De precibus antequam ad altare ascendatur:*

a) Servantur: « In nomine Patris, etc. » et crucis signatio dum verba illa proferuntur.

b) Dicitur: « Introibo ad altare Dei », sed omittitur psalmus quadragésimus secundus, sicut tempore Passionis atque in Missis Defunctorum, nam talis psalmus ad rem pertinere non videtur.

c) Dicitur: « Adiutorium nostrum », destituitur tamen signo crucis.

d) « Confiteor » recitatur, sed in forma breviori; adduntur versiculi, recitantur preces « Aufer a nobis » et « Oramus te, Domine ».

e) Nihilominus mihi non displiceret ut, in Missa sine cantu, sacrificium Eucharisticum, sicut antiquitus, inciperet per salutationem sacerdotis ad populum (« Pax vobis » vel « Dominus vobiscum »), consequentem responsionem populi (« Et cum spiritu tuo »), et recitationem orationis quae Collecta nuncupatur: praetermissis proinde omnibus quae nunc, antequam ad altare ascendatur, dicuntur.

2. *Ab Introitu ad « Credo » inclusive.*

a) Introitus, signo crucis praetermisso, recitari posset ut nunc, nisi forte reservandus videatur tantummodo Missae in cantu celebratae.

b) « Kyrie eleison » diceretur sicut nunc, nisi forte reservandus videatur Missae in cantu litatae.

c) « Gloria in excelsis » recitaretur sicut nunc; nonnulli tamen optarent, fortasse non incongruenter, licet de re prorsus nova agatur, ut « Gloria » per modum gratiarum actionis recitetur aut cantetur post communionem populi, ut suo loco animadvertam.

d) « Dominus vobiscum », vel « Pax vobis », hoc loco omnino ser-

vanda sunt, et, si omnibus praetermissis tunc Missa inciperet, signarent praecise initium actionis liturgicae.

e) Oratio, quae Collecta communiter vocatur, pariter hoc loco servanda est. Collecta ista, habitualiter non nisi una esse deberet. Ad libitum, vel tanquam pro re gravi, ab Ordinario praescripta, alia tantum adiungi posset sive deberet.

f) Lectiones ex Vetere vel Novo Testamento omnino servantur; immo, fere omnibus fatentibus, ob rationes praesertim pastorales, melius seligantur et abundantiores sint quam nunc.

g) « Munda cor meum » servari posset; attamen, in Missis sine cantu, omittenda essent « Iube Domine benedicere » et quae sequuntur.

b) Lectiones ex Evangelio eo modo seligantur atque proponantur quo superius, pro aliis biblicis lectionibus, dictum est.

i) « Credo », ut nunc a rubricis praescribitur, recitetur.

3. Ab initio Offertorii ad Praefationem exclusive.

a) « Dominus vobiscum » iterum dicendum est.

b) Post verbum « Oremus », prex fidelium peropportune restauranda est, quae praecipuas petitiones, in talibus orationibus die mortis Christi recitandis, atque in similibus orientalium supplicationibus, ad synthesim veluti redigat.

c) Antiphona ad Offertorium, in Missis sine cantu celebratis, omitti posset.

d) Quoad Offertorii orationes, quae nunc dicuntur, liceat mihi tria, quae sequuntur, schemata possibiliter humiliter proponere:

Primum schema: servetur tantummodo antiquissima ac sufficiens oratio, quae apud ritum romanum « secreta » vocari consuevit, apud ambrosianos vero « Oratio super oblata ». Nihilominus instaurandae vel substituendae essent quaedam secreta minus bene redacta, sub luce antiquorum Sacramentarium atque ex consideratione rationum doctrinalium vel pastoralium. Iuxta hoc primum simplicissimum schema, ergo, panis et vini oblatio, per elevationem hostiae et calicis simul peragenda, secumferret unice recitationem orationis sic dictae « secretae », qua praecise exprimitur oblatio illorum elementorum Deo, ac petitur ut dona ipsi oblata acceptare dignetur, ac dein consecrare, ad omnium spirituale simul et corporale, temporale atque aeternum bonum.

Secundum schema: Iuxta hunc procedendi modum, servaretur, uti nunc, separata panis et vini oblatio; servarentur pariter orationes « Suscipe sancte Pater », « Deus qui humanae substantiae », « Offerimus tibi, Domine », et supradicta secreta. Supprimerentur ergo orationes: « In spiritu humilitatis », « Veni sanctificator », psalmus « Lavabo », « Suscipe sancta Trinitas » et « Orate fratres ».

Tertium schema: Iuxta hunc procedendi modum, omnia ut nunc servarentur, suppressa tantummodo oratione « Suscipe sancta Trinitas ».

In Missis sine cantu, aut non solemnibus, fortasse omitti posset lotio manuum, stante ipsius actuali forma nimis diminuta seu contracta.

4. *De Canone, seu a Praefatione usque ad « Omnis honor et gloria. Per omnia saecula saeculorum. Amen ».*

Procul dubio Canon universus accuratissime instaurandus esset; ita ut, demptis additionibus vel interruptionibus, quibus temporum decursu a pristina unitate et simplicitate structurae aliquatenus discessit, ad pristinam perfectionem feliciter rediret. Quae instauratio facienda esset sub luce et historiae liturgiae romanae et anaphorarum orientalium. Uno verbo: feliciter reconstrui deberet unica illa prex gratiarum actionis, consecrationis, oblationis Corporis et Sanguinis Domini, petitionis descensus Spiritus Sancti super ipsum sacrificium, super fideles, super omnes et omnia elementa: in cuius unice precis conclusione, populus acclamaret magna voce « Amen ». Ita iterum ascenderetur ad unicam illam mirificam precem de qua Sanctus Iustinus martyr, in prima Apologia sua, loquitur; et clarius appareret unitas seu concordia, non tantum quoad doctrinam sed etiam quoad generale schema, inter romanum et ambrosianum canones ita instauratos, et paene innumeras fratrum orientalium, sive unitorum sive separatorum, anaphoras. Quae instauratio influxum ordinis pastoralis procul dubio, ut arbitror, secumferret. Si autem Sacrosanctum Concilium, Spiritus Sancti instinctu ductum, a tanto instauracionis opere iudicabit esse abstinendum, omnia servari poterunt sicut nunc, mutatis aut suppressis tantummodo his paucis quae sequuntur:

a) Praefatio servari ergo posset ut nunc; congruum tamen videtur ut clare dicatur, atque in libris Missalibus indicetur, per Praefationem incipere Canonem, sicut apud fratres nostros orientales. Insuper, ex antiquis sacramentariis, multae Praefationes romanae, tantum apud ambrosianos nunc servatae, iterum assumi possent, ut in Missalia introducantur, praesertim pro nonnullis anni liturgici temporibus, solemnitatibus aut communibus. Quaedam praefationes insuper ex novo condi possent, uti laudabiliter pro Sacri Cordis et Christi Regis festivitate factum est.

b) Commemoratio pro vivis. Consultum mihi videtur ut ista commemoratio ita transferatur, ut praecedat commemorationem pro defunctis, sicut etiam advertitur in anaphoris orientalibus.

c) Communicantes. Fortasse auferri possent quaedam sanctorum nomina ut Chrysogonus, Ioannes et Paulus, Cosmas et Damianus: introduci vero nomina sancti Ioseph et quorundam summorum sanctorum orientis vel occidentis; pro singulis nationibus autem et ordinibus religiosi inseri respective posset Protectorum vel Fundatorum mentio.

d) « Nobis quoque peccatoribus ». Ab hac oratione demi possent fortasse nomina sanctorum Alexandri, Petri, Marcellini, Anastasiae, ut vel nihil ponatur vel mentio quorundam sanctorum maioris momenti pro universa vel pro occidentali Ecclesia.

e) Verba « Omnis honor et gloria » iterum unienda essent verbis « Per omnia saecula saeculorum »; et populus acclamare deberet: « Amen ».

5. *Ab Oratione dominica usque ad finem Missae.*

a) « Pater Noster », in Missis sine cantu, semper recitari posset totaliter a sacerdote una cum adstantibus.

b) Ex oratione « Libera nos » auferri possent nomen S. Andreae et deosculatio patenae.

c) Embolismus et eius conclusio recitari possent manibus iunctis, praetermissa omni alia caeremonia.

d) Fractio hostiae peragi posset nihil dicendo; commixtio supprimi posset; et sacra hostia, in duas tantum partes fracta, statim collocanda esset super patenam.

e) « Pax Domini sit semper vobiscum » recitari posset facie ad populum conversa; ita tamen ut, quando altare populum non respicit, celebrans terga non ad Hostiam sanctam sed ad evangelii cornu vertat.

f) « Agnus Dei » etiam tertia vice, sicut antiquitus et nunc in Coena Domini, concludendum esset verbis « miserere nobis », comitante pectoris tusione.

g) Tres orationes (« Domine », « Domine Iesu », « Perceptio ») et quaedam formulae breviores, quae communionem praecedunt, omitti possent; et hoc sive quia « Pater Noster » sufficiens et completa ad Communionem praeparatio censenda est, sive quia ipsarum forma, non pluralis sed singularis, meliori liturgico usui contradicere videtur.

h) Ideoque, dicto ultimo « Agnus Dei », sacerdos genuflectere posset, et dein, stans et manibus iunctis, dicere unicam formulam, exempli gratia: « Corpus et Sanguis Christi prosit nobis in remissionem peccatorum et in vitam aeternam ». Quae formula ex evangelio aliquantulum desumitur et in liturgiis orientalibus, verbi gratia in byzantina, aliquatenus invenitur. Sumpto sacro Sanguine, sacerdos, manibus iunctis, per aliquot momenta, posset in devota adoratione persistere.

i) Antiphona ad Communionem, in Missis sine cantu, omitti posset. Antequam Corpus Domini sacerdos fidelibus praebeat, ad populum conversus, dicere posset unam tantum brevem formulam, ut verbi gratia: « Corpus (et Sanguis) Christi prosit vobis in remissionem peccatorum et in vitam aeternam. Amen », omissis omnibus aliis precibus; quia humilitatis protestatio et veniae petitio iam egregie continentur et exprimuntur in oratione dominica « Pater Noster ». Cum ergo Eucharistiam fidelibus praebeat sacerdos, vel nihil dicit vel ambrosianam formulam: « Corpus Christi », respondente fidele « Amen ».

l) Ob rationes pastorales nonnulli petunt ut, statim post Communionem, tanquam gratiarum actio, aliquid in Missa recitetur vel cantetur. Iuxta antiquum morem decantari aut dici deberet Psalmus quidam cum antiphona ad Communionem connexus; nonnulli tamen petunt ut « Gloria in excelsis Deo » huc transferatur. Quae translatio est nova, sed sua pastorali efficacia

destituta non videtur. Nihilominus, ob rationes satis traditionales, cantus « Gloria in excelsis » non esset huc transferendus in Missis de Nativitate Domini et de Vigilia Resurrectionis.

m) Ablutiones peragendaessent sicut nunc, sed aqua tantum adhibita, et omissis duabus precibus quae nunc recitantur.

n) Calice de more composito, sacerdos dicit: « Dominus vobiscum » et orationem, quae Postcommunio vocatur, recitabit.

o) Ad medium altaris reversus, osculum omittet, ad populum se vertet, « Dominus vobiscum » dicit, altare deosculabitur, et de more benedictionem, comitantibus consuetis verbis, populo impertietur; qua expleta, manibus iunctis, dicit: « Ite, Missa est ». Statim descendet, genuflectet seu caput inclinabit, et in sacristiam revertet, omnibus aliis omissis.

Appendix prima: De genuflexionibus.

Haec tantum genuflexiones servandae videntur:

a) in accessu ad altare, si ibi Sanctissimum Sacramentum servetur;

b) ad « Et incarnatus est »;

c) in quibusdam epistolarum vel evangeliorum locis, sicut nunc;

d) statim post consecrationem Corporis et post consecrationem Sanguinis.

e) antequam Corpus et Sanguinem Domini sumat; si Sanctissimam Eucharistiam fidelibus praebeat, semel ante et semel post distributionem;

f) recedens ab altare, ut dictum est supra.

Appendix secunda: De signis crucis.

Haec tantum signa crucis peragenda in posterum viderentur:

a) in initio, cum dicitur « In nomine Patris... »;

b) ad Evangelium, ut nunc;

c) ad « Te igitur », semel tantum, cum dicitur « benedicas »;

d) ad « Qui pridie », et ad « Simili modo », cum respective dicitur « benedixit »;

e) ad « Per quem omnia », cum dicitur « benedicas »;

f) in fine Missae, cum sacerdos populo benedicit.

Omnia alia crucis signa, ergo, praeter ista praedicta, omitti in posterum deberent.

Appendix tertia: De Missa quae in cantu celebratur.

1. Ea omnia valent quae supra dicta sunt de Missa sine cantu celebrata, quoad orationes, genuflexiones et crucis signa.

2. Omnia quae canuntur seu recitantur a diacono, subdiacono, clericis, schola vel populo, nullimode recitentur a celebrante, qui tantummodo ea auscultet.

3. Quia processio, qua ad altare acceditur, fit comitante cantu Introitus, fortasse opportunum esset ut sacri ministri, statim ac ingressi fuerint presbyterium et debitam reverentiam praestiterint, illico ad altare ascendant seu accedant, celebrans eum deosculetur atque ad incensationem deveniat.

4. Incensationes, quoad numerum (in initio, ad offertorium, ad consecra-

tionem) servari possunt ut nunc. Nihilominus omitti possent verba psalmodica comitantia incensationem ad offertorium; ipsae autem incensationes super oblata, ad simpliciores formas reduci possent: nempe ad unicum crucis signum super panem simul ac vinum. Pariter incensatio choralium ad simplicem formam reduci posset: nempe ad incensationem superioris et ad communem et unicam incensationem, prius ad choraes ad latus Evangelii, dein ad latus epistolae positos, ac tandem ad populum.

5. Velum humerale, cum omnibus connexis caeremoniis, omitti posset in Missa; consequenter subdiaconus sistere deberet vel a dextris vel a sinistris, vel in plano.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN I
PERIODUS PRIMA

PARS II
CONGREGATIONES GENERALES X-XVIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXX

3

EXC.MUS P. D. CAESAR VIELMO

*Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis**Venerabiles Sacri Concilii Patres et carissimi in Christo Fratres,*

His omnibus quae egregie a pluribus aliis Patribus iam dicta sunt, non nisi haec principia et normas de Breviarii Romani structura Sacro huic Concilio humillime enuntiare cuperem. Quae vero ad ipsorum principiorum minutiolem applicationem spectant, in scriptis exc.mo Domino secretario generali tradam.¹

Breviarium romanum, ut omnium desideriis et conditionibus prospiciatur, triplicis formae esse deberet: *monasticum*, scilicet, pro monachis et monialibus; *commune*, nempe, pro clero saeculari et omnibus aliis religiosis; *pastorale*, videlicet pro sacerdotibus saecularibus et regularibus, *dum* pastoralis ministerio arctius implicantur. Hae tres Breviarii romani formae quoad nonnulla elementa discrepant seu sunt dissimiles, sed quoad multa elementa convenire debent, seu sunt similes.

Peculiaritates trium singularum Breviarii formarum sunt: Breviarium romanum monasticum servare deberet divisionem in octo partes, nempe Matutinum, Laudes, Primam et alias tres horas minores, Vesperas, Completorium. Hoc Officium deberet a monachis et monialibus integre recitari in choro vel extra chorum.

Breviarium romanum commune, secumferens additiones et mutationes quae singulis religiosis institutis propriae sunt, habere deberet divisionem in octo, aut saltem in septem partes, nempe Matutinum cum tribus Nocturnis in festis primae et secundae classis et uno tantum trium psalmorum nocturno in ceteris omnibus diebus, Laudes, tres saltem horas minores (dempta scilicet fortasse hora quae vocatur Prima), Vesperas, Completorium. Hoc Officium deberet a clero saeculari et regulari, in choro vel extra, secundum proprias leges, integre recitari.

Breviarium romanum pastorale, quo (habitualmente quidem de venia proprii episcopi vel proprii superioris maioris religiosi, per modum verum actus iuxta probatas theologiae moralis regulas) uti possunt sacerdotes omnes, saeculares et regulares, *dum* pastoralis ministerio arctius implicantur.

Breviarium istud pastorale posset duobus modis a supradicto Breviario communi distingui, quatenus vel per aptas rubricas, vel per parentheses, vel per characterum typographicorum differentiam vel per

omissionem at relegationem ad peculiarem libellum separatam sed adiectum, indicaret horas aut horarum partes, quae a pastoribus in recitatione omitti possunt, *de venia semper proprii Ordinarii vel superioris maioris regularis*.² Ideoque, Breviarium istud pastorale esse posset brevius ob possibilitatem et facultatem abbreviandi singulas horas, *secus posset esse*³ brevius ob limitationem obligationis ad quasdam tantum horas, quatenus praedicti sacerdotes obligarentur tantummodo ad recitationem integri Matutini, Laudum, Vesperarum.

Breviarium autem in sua triplici forma, scilicet sive monastica sive communi sive pastorali, multo perfectius quam nunc esse deberet, scilicet: quoad quorundam hymnorum emendationem, aliorum assumptionem, nonnullorum ablationem; quoad emendationem latinam Psalmorum ac totius Bibliae versionem, Vulgatam scilicet a mendis tantum expurgatam; quoad Psalmorum accuratam selectionem ac distributionem; quoad ordinatam et per plures annos distributam, amplissimam, sed selectissimam Bibliae, praesertim Novi Testamenti, copiam; quoad textum ex documentis Magisterii Ecclesiastici, Sanctorum Patrum et Doctorum, orientis et occidentis, accuratam selectionem, copiosiore adhibitionem, aptam distributionem; quoad lectionum historicarum emendationem, vel renovationem, vel expunctionem; quoad orationum de tempore aut de sanctis accuratam emendationem, renovationem, aut ablationem; quoad introductionem Symboli Apostolorum in loco congruo et solemniori, verbi gratia, circa finem Laudum, quae est hora resurrectionis Domini; quoad ablationem ex Matutino, Prima, et Completorio, orationis Dominicae, fere integre sub secreto recitandae, et collocationem eiusdem orationis Dominicae non in fine horarum minorum, sed in loco solemniori, verbi gratia, circa finem Vesperarum, quae est solemnissima inter omnes horas.

Breviarium romanum ergo in unaquaque ex his supradictis tribus formis, esse deberet veluti « flos florum », sub respectu hymnologico, biblico, doctrinali, spirituali, historico, pastorali: uno verbo, omne continere deberet, quod in illis fontibus excelsius est. Tunc revera famulos Dei minime gravabit, sed eorum mentem, cor, et opera perficiet et alet. Quod Deus faxit! Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ quatenus isti sacerdotes in Matutino festorum primae et secundae classis, recitare possent vel unum tantum nocturnum quem voluerint, vel tertiam totius matutini partem, e. g. solas lectiones; in Laudibus et Vesperis recitare possent, respective, tres tantum psalmos; Horam quae Prima vocatur, possent omittere; in Tertia, Sexta, Nona, Completorio possent unum tantum, respective, psalmum recitare; ubique, omittere possent hymnos et responsoria. Secus Breviarium istud pastorale esse posset.

Animadversiones additae:

Applicatio ad singulas horas.

1. *Officium nocturnum.*

a) *Quomodo vocandum.* Certe eligendum est an hora ista vocanda sit « Matutinum » vel « Nocturnum », nam incongruum omnino videtur quod Matutinum nocturno vel nocturnis constare dicatur: voces enim nox et mane inter se aliquantulum pugnant. Unde vel unum ex his duobus vocabulis eligendum, vel novum confingendum: exempli gratia « Sacra lectio ». Si vero duae voces praecedentes, scilicet « Matutinum » et « Nocturnum », serventur, clare in rubricis dicendum esset has duas voces ideo adhuc usurpari quia haec Divini Officii hora vel sero praecedenti vel nocte vel mane, pro posse, recitari potest aut deberet.

b) *De totius Matutini structura generali.* Praesertim cum agitur de Matutini structura instauranda aut describenda, prae oculis habenda est superius inducta Breviarii romani unicitas substantialis ac distinctio in tres formas, quae, claritatis gratia, vocari possent: *Breviarium monasticum*, *Breviarium commune*, *Breviarium pastorale*. Ideoque:

In Breviario monastico, Matutinum semper tribus constare poterit nocturnis, cum tribus psalmis et totidem lectionibus in unoquoque nocturno, vel alio modo iuxta monasticam Ordinis Sancti Benedicti traditionem vel ad alios monasticos Ordines aptationem.

In Breviario communi, Matutinum in sollemnitatibus aliisque primae et secundae classis festis, tribus constare poterit nocturnis, cum tribus psalmis in quolibet nocturno et una ampliori vel tribus consuetis lectionibus in unoquoque nocturno; in ceteris omnibus festis et feriis, uno tantum constabit nocturno, cum tribus selectis psalmis et tribus satis amplis lectionibus ut dicitur infra, suo loco.

In Breviario pastorali, Matutinum in sollemnitatibus aliisque primae et secundae classis festis vel tribus (ut supra) constare poterit nocturnis, facta tamen potestate sacerdoti unum tantum quem voluerit ex eis recitandi (sicut nunc pro Defunctorum Officio); vel uno nocturno, sicut in aliis festis et feriis inferioribus. Magis consultum tamen videtur ut sacerdoti, etiam pastorali muneri implicato, possibilitas detur, cum voluerit (verbi gratia tempore Exercitationum spiritualium, vacationum, infirmitatis, devotionis etc.), in festis primae et secundae classis tres nocturnos recitandi: quod non posset si in Breviario, aut in supplemento ad Breviarium adiecto, eos non haberet.

c) *De Psalterio.* Occasione Matutini, animadvertam quaedam de Psalterii in Breviario adhibitione seu recitatione, quae certe refertur non ad Matutinum tantum sed etiam ad omnes ceteras Horas. Salvo meliori iudicio, sincere dicam me non plene intelligere cur qualibet hebdomada, vel bis in mense aut similiter, debeat in Breviario universum Psalterium recitari, cum iste sacer liber plures contineat psalmos, qui sub respectu vel doctrinali vel spirituali vel pastorali, non admodum magni videntur esse momenti. Quod in primis intelligendum videtur de quibusdam psalmis pure historicis vel qui cum Novi Testamenti spiritu minus forte congruunt.

Si enim, omnibus fatentibus, in posterum plures omittendi erunt Divinae Scripturae loci minoris momenti, rationem non video cur ab hac sapienti regula excipiendi essent psalmi. Breviarium enim, in sua brevitate, ac sub omni respectu, *flos florum* sit oportet, ut sacerdotem non gravare valeat sed elevare. Ex hac Matu-

tini necessaria instauratione, necessitas fuit accuratae psalmodum selectionis et aptioris per totum Officium distributionis.

d) Quoad lectiones in genere: selectio et varietas. Solemnitates, ergo et etiam omnia festa primae et secundae classis, ob rationes superius dictas, possent novem lectiones adhuc complecti, plus minusve ut nunc, licet debitis emendationibus, seu mutationibus in melius, inductis. E contra, festa alia ac feriae, *tribus* tantum constare deberent lectionibus, *bene selectis ac satis amplis*, quarum *prima* ex Divinis Scripturis, *secunda* ex Patribus vel Doctoribus vel Sanctorum historia, *tertia* secumferret Evangelii lectionem eiusque commentarium seu homiliam Sancti Patris vel Doctoris Ecclesiae.

e) Quoad lectiones in specie: de lectionibus biblicis. Duorum vel trium annorum spatio, *tota* Antiqui et Novi Testamenti *biblia, ordinatim*, demptis tantum locis quae sub respectu doctrinali vel pastoralis minoris sunt momenti (genealogiae, numerorum computationes, proelia quaedam, elementa minus congrua) esset legenda.

Cum novus liber incipitur, parvis typis congrue recoli possent certi aut probabilis auctoris nomen, tempus et circumstantiae compositionis, et forte etiam summa omnino libri lineamenta, cum magis momentosis applicationibus doctrinalibus et pastoralibus.

Quoad bibliae versionem adhibendam, percuperem ut accurate, sed satis expedite, paretur *nova latina versio*, ita tamen confecta ut sincera Sancti Hieronymi Vulgata ibi tantum emendetur seu mutetur ubi certe vel est erronea vel imperfecta: non enim consultum videtur ut versio Vulgata, tanto saeculorum usu comprobata et super quam tot Ecclesiae opera fundantur, vel e medio tollatur vel quod ab ea recedatur. In ipsa ergo essent peragenda tantummodo tales emendationes quae comparari possent iis quae vulgo « rammendi » vocantur.

f) Quoad lectiones in specie: de lectionibus Patrum et Doctorum. Sicut singulis festis et feriis lectio Divinae Scripturae assignatur, ita singulis feriis assignari deberet etiam lectio, aequalis amplitudinis ac supra, deprompta ex Patribus et Doctoribus.

Quoad lectionem patristicam vel doctoralem haec criteria servari possent: meliores editiones, sub respectu criticae textus, essent adhibendae; electio Patrum ac Doctorum multo amplianda esset, ita ut assumatur maior Patrum ac Doctorum, etiam Orientis, numerus; auctorum loci minus apti, attenta nostrorum temporum mente (numerorum lusus, applicationes biblicae aliquatenus contortae, etc.) essent removendi aut minime seligendi; saltem cum prima vice in Breviario sanctus quidam Pater aut Doctor aut eorum liber introducit, eo circiter modo esset procedendum ac pro singulis Bibliae libris supra dictum est. Ista tamen notulae, semel pro semper, velut in indice, adunari possent in fine Breviarii.

g) Quoad lectiones in specie: de lectionibus historicis Sanctorum. Supposita necessaria calendarii emendatione, scilicet expunctione multorum festorum de Sanctis quae momentum pro universo romano ritu habere non videntur, lectiones historicae adhuc servandae accurate erunt revisioni et emendationi subiiciendae aut noviter omnino conficiendae, ita ut illa tantum elementa serventur quae certa videntur; quoad vero venerabiles traditiones, circa quas tamen ad solidam certitudinem deveniri non potest, addenda esset dictio « ut traditur », « ut fertur » vel quid simile.

b) *Quoad lectiones in specie: de homiliis in Evangelium.* Sicut singulis festis diebus et feriis adest lectio Divinae Scripturae, et etiam, ut dictum est, lectio doctrinalis aut historica, ita pariter quotidie esse deberet tertia lectio de homilia in Evangelium. Etenim qualibet die aut celebratur festum de tempore vel festum de sanctis, cum Evangelio proprio vel de communi et respectiva homilia; aut officium fit de feria. Quando autem officium fit de feria, scilicet permultis diebus *in anno*, cur, *sicut tempore Quadragesimae*, non aderit deinceps et *propria Missa* et consequenter *propria homilia* in Divino Officio? Qua in lectione de homilia seligenda et exhibenda, ea criteria adhiberi possent quae supra, sub numero f), dicta sunt. Fortasse etiam Evangelium, in quod statim homilia legetur, recitare posset integre et non tantum quoad priora verba cum formula « et reliqua ».

i) *De Breviarii valore et efficacia.* Hoc modo Breviarium, etiam solo Matutino considerato, esset revera *flos florum* sub respectu doctrinali simul et historico, spirituali simul ac pastorali; et pietatem foveret atque pastorali ministerio incrementum praeberet. Nec ut quid incongruum censi deberet si Breviarium iterum quatuor parva volumina complecteretur: contineret enim omne quod, peritorum iudicio, in Bibliis, Patribus, Doctoribus et hagiographia excelsius est!

2. *Officium « diurnum ».*

a) *Traditio servanda.* *Laudes*, quatuor *Horae Minores*, *Vesperae* et *Completorium* fere totaliter, ut dictum est, manere possent ut nunc, factis tamen necessariis quibusdam emendationibus vel opportunis mutationibus.

b) *Progressus faciendus.* Inter emendationes certe recensendae sunt emendationes quorundam hymnorum, qui saeculorum decursu aliquantisper corrupti fuerunt. Cum unusquisque hymnus saltem prima vice exhibetur, opportune parvis typis indicabitur auctor certus aut probabilis et etiam compositionis tempus. Quae omnia intelligenda sunt etiam de hymnis qui ad Matutinum recitantur. Hymni autem minus apti expurgantur; alii reassumantur.

c) *Hypothetica abbreviatio.* Si, non obstante Matutini decurtatione, Divinum Officium adhuc nimis longum videretur, suggerere quis forte posset quod, saltem in Breviario pastorali, *Laudes* et *Vesperae* ad tres respective psalmos reducantur, *Prima* supprimatur, aliae vero *Horae Minores* et *Completorium* ad unum dumtaxat psalmum coarctentur. Tunc sacerdotes, qui adnituntur ut Divinum Officium competentibus pro posse horis celebrent, simul et valde enutrientur et *minime* gravabuntur.

3. *Symbolum Apostolorum et « Pater Noster ».*

a) *Symbolum.* Incongruum videtur ut *Symbolum Apostolorum* nullibi amplius in Divino Officio recitetur: fortasse collocari posset ad *Laudes*, quae est hora resurrectionis Domini, post repetitionem antiphonae ad « *Benedictus* » et ante orationem (in choro, elata voce recitandum aut cantandum ab omnibus simul).

b) « *Pater Noster* ». Fortasse congruum est ut supprimatur usus recitandi « *Pater Noster* » partim elata voce et partim secreto. Pariter congruum videtur, quod omittatur recitatio *Orationis Dominicae* in Matutino, precibus, *Prima* et *Completorio*, et ei tribuatur locus et forma recitationis vere solemniter, in choro autem cantu exsequendae. Forte potius quam in fine *Horarum minorum*, ut dicitur in constitutione numero septuagesimo secundo, eius recitatio aut decantatio locanda esset in *Vesperis* post repetitam antiphonam ad « *Magnificat* » et ante diei oratio-

nem. Quidquid sit, Orationi Domini semel *locus* vere *conspicuus*, et in choro forma recitationis sollemnis, tribuenda videntur.

Conclusio. Fortasse modus iste Divinum Officium instaurandi, esset simul *traditionalis et innovationibus* prudenter favens.

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II
PERIODUS SECUNDA

PARS V
CONGREGATIONES GENERALES LXV-LXXIII



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIII

Exc.MUS P. D. CAESAR GERARDUS M. VIELMO

Episcopus tit. Ariassensis, vic. ap. Aysenensis

Licet constitutio *de sacra Liturgia* mihi perplaceat, defectus tamen praesertim formae, quos in schemate Patrum disceptationibus subiecto adverteram et coram universo Concilio breviter indicaveram, in schemate emendato non sine stupore et animi dolore video adhuc exstare.

Immo textus renovatus, quoad nonnulla, sub respectu formae et aliquando etiam conceptuum, non semel in peius versus est, ut ex nonnullis tantum exemplis liquido patet:

In fine novi n. 5, ponitur particula « Nam »: ac eadem particula, statim incipit n. 6.

Circa finem n. 6 (lin. 33), illud « ea » additum ad quid refertur? Certe non ad « paschale mysterium », nam plurale incongrue referretur ad singulare. Fortasse ita posset emendari: legendo « ea quae in omnibus scripturis de ipso erant ».

In fine tandem eiusdem numeri, pulcherrima illa additio « per virtutem Spiritus Sancti », aptius collocari deberet, ita ut clarum sit omnia quae in sacris liturgiis peraguntur, Spiritus Sancti operante virtute exerceri. E contra haec additio, prout nunc inserta est, posset etiam non ad omnia, sed ad id tantum quod novissimo loco ponitur, referri. Congruè ergo collocaretur statim post lin. 33.

Ad n. 7, pag. 7, linn. 5-15: textus emendatus est durus sub respectu formae et iterum emendandus sub respectu materiae. Congruit enim ut constitutio e fontibus oriatur sed eas dominetur, et non e converso. Fortasse textus iterum emendari posset, vel ut sequitur, vel adhuc aptiori modo: « Praesens adest in sacramentis ita ut Christus ipse, sua virtute, agat per eum qui baptizat aut alia sacramenta ministret. Praesens adest dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur, siquidem audientes ipse per eas alloquitur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, quia ipsa per eum adprecatur Patrem ». Verba autem biblica *Mt.* 18, 20 collocari deberent lin. 1, statim post: « liturgicis », ita ut dicatur: « ... Christus... adest... in actionibus liturgicis, ipse qui promisit: Ubi sunt duo... ».

Ibidem, linn. 19-20: non est verum liturgiam invocare Christum dum ipsa oratio funditur; sed in Christo, cum Christo, et per Christum aeterno Patri cultum tribuere. Proinde deberent verba deleri: « Dominum suum invocat et ».

Ad n. 10, pag. 8, lin. 39: per additionem factum est ut ibi posita fuerint duo qui idem dicunt: Fortasse textus iterum sic posset emendari: « Sacrificio actuose participant, laudabiliter de altari sacrum Christi corpus sumentes ».